

Denique barones regni Bohemiae qui iam dudum per dissensiones se opposuerant duci Carinthiae supradicto audientes virginem Elizabeth captivitatis suae vincula evasisse singuli concurrebant ad eam et qualiter eundem Henricum ducem Carinthiae expellere possent de regno consilium inierunt. Copiosum exercitum congregant, Pragam adeunt et praedictum Henricum tunc in castro Pragensi morantem potenter invadunt. Inde fit ut inter barones regni et gentes dicti Carinthiae ducis bellum maximum exoriatur. Postremo tamen gentibus ducis Carinthiae per barones regni bello victis plures capti sunt et reliqui qui poterant in Pragense castrum configuerunt praefato duce Carinthiae in turri prima castri Pragensis sedente et damnosum sibi spectaculum hoc vidente. Cum rex Iohannes, Elizabeth regina et omnis eorum exercitus civitatem Pragensem intravissent, Henricus dux Carinthiae media nocte cum domina Anna coniuge sua ac tota familia latenter nemine persequente fugit de Pragensi castro eo post se apertis ianuis relicto.